

CAPUT XV.

DE

SUCCESSIONE DESCEN-
DENTIUM.

I.

Successionem aliam esse legitimam, aliam testamentari-
am in vulgus notum est: quibus moribus hodiernis
tertium genus ejus scil. quæ secundum pacta fit, acce-
dit. De qua, in quantum ad feuda pertinet, sequenti Cap.
data nobis occasione quædam dicturi sumus. De testa-
mentaria hætenus fuit actum, assertumque, nullam illam
vim, nisi quibusdam exceptis casibus, exserere in feu-
dis. Plus vero sibi vindicat legitima, qua feuda devolvi,
feu transmitti quam plurimi textus Juris Longobardici
evincunt. Enimvero non una semper ratio fuit hujus suc-
cessionis: siquidem antiquissimo tempore feuda precaria
erant, ita ut domini ea, quodocunque vellent, revocare,
& auferre possent. Post annalia fuere; mox vero ad va-
falli vitam producta. Deinde filiis relicta, & quidem pri-
mo uni tantum, quem eligebat dominus, aut forte omni-
bus, si ita visum domino, ut feudum divideretur. Atque
sic procul dubio ex voluntate domini dependebat, an &
quando vellet feudum filiis relinquere, vel uni, vel pluribus
dare, ita ut sic peculiari opus impetratione. Postea tamen
ita jus filiorum stabilitum est, ut ad omnes æqualiter filios
pertineret. Quin & jam a Lothario, velut asserui *Cap. I. §. 20.*
constitutum, ut etiam ad nepotes ex filio devolveretur: imo
ab uno filio, ex quo nepos non esset, ad alium, sic a fratre ad

*Successionis
legitimæ in
feudis hi-
storia.*

*Constitutio
Lotharii.*